



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

67. Quomodo S. Willibrordus à Sergio sit transnominatus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

quam plumbea meritò est. 5. ferendæ alijsque prædicandæ crucis. 6. summum cum summo in terris Pastore summi illius in cælis Pastoris vicario coniunctionis & vnitatis dum ab eo lanam hanc ouillam & ex ipso S. Petri cui pascebas oves commisit Dominus, altari accipiunt. Reliqua eius significata & hæc latius explicata vide apud. N. Serarium Mogunt. rerum lib. 3. notatione 26. ad vitam Bonifacij.

## DISSERTATIO LXVII.

Quomodo S. Willibrordus à Sergio sit transnominatus.

**S**ummus Pontifex Sergius inaugurans Archiapostolum nostrum nomen Clementis ei imposuit. Transappellationis huiusce occasio & ratio vulgariter datur; Quod Romæ de suo nomine interrogatus dum respondisset Wilbrod Anglico idiomate, vocabulum istud Papæ Latijsq; auribus durū asperumque infonaret, voluisse vt abiectà propria nominatione leniori sonantia vocaretur Clemens. Verùm hæc narratio vere est vulgaris & fere plebeia. Ab altiori principio dimanauit impositio. Cedo, cur Sergius dum anno 691. Romam veniens Willibrordus multis cum eo ageret, nomen Anglicum non mutarit? Cur potius in Episcopali benedictione, quam tunc? an tunc non crudum asperumque Latinis auribus infrederet? An tum non fuerit Willibrordus, quæsitus de nomine? Multa fuerunt Anglica nomina Romæ audita, vt Wilfrid. Wilibaldus, Winibaldus, Plechelmus, viro, Otgerus, & nō sunt variata. imo à tēpore Gregorij primi coeperūt audiri, vt ab antiquo Græca & Galli-

ca,



ca, quæquamuis in latino sermone leniora sint, attamen patrio sermone prolata durè barbarequè Latium auditum ferunt? Cur ergo illa ob barbariem non fuerunt reprobata eque ac Willibrordi. Nouerat Pontifex S. Willibror. Romanos & Italos non eruditurum, in Italia Episcopum non acturum; cur ergo cogeret Latium nomen assumere? cur Italis auribus inferuire? Potius suum Willibrordo debuisset Pontifex relinquere, qui inter Frisios erat versaturus, quibus cum Anglis Saxonibus in idiomate magna erat communio & affinitas. Nullus veterum scriptorum, ut Beda, Alcuinus metonymiæ talem rationem producant. Primus euulgator est Metaphrastes. Nescio vnde hauserit. Ac te rogo, Metaphraste, Willibrordus Romæ interrogatus de nomine, fuitne rogatus Latinè, an Anglicè? Respōdebis, credo, Latinè, quia à Latinis Anglicanæ linguæ ignatis, non Anglis. Infero, respondit ergo Willibrordus Latinè, qui Latinam nouerat. Willibrordi autem nomen Latinè enunciatum non sonat crudum nec barbarum Romanis, non magis quam Bellarminus, Hypolitus, Capilupus & similis fortis, proinde non potuit dare Pontifici ob asperitatem ansam innouandi. Aliunde nobis trahendum est Pontificium motiuum. Ad quod capiendum, Nota, quinque potissimum ex causis nominis immutationem oriri. Primò, dum quis in prouectiori ætate sacrum baptisma suscipit. sic apud Metaphrasten, & Damascenum oratione de imaginibus, qui antea vocabatur Placidus, dictus est Eustathius, eiusque vxor Theopiste, quæ prius Traiana. Ceadualla Rex post baptismum apud Bedam lib. 5. Hist. Angl. c. 7. Petrus est: sic apud Crantziū li. 5. Sueciæ ca. 10. Sueciæ Rex Olaus fit Iacobus, Hungarus apud Marcellinū c. 24. Petrus: Hathagerus c. 29. Swibertus: Eldak apud S. Ludgerū episto. ad Rixfridum ca. 8.



Bruno. & alij olim tam multi. idem fit & verò etiam nunc in Iaponia, India, & Peruana.

Secundò, dum quis per Sacramentum Confirmationis in Christiana militia stabilitur, roboratur. Sic Hermenegildus Leonigildi Regis filius ex heretico factus Catholicus, dum Chrismaretur, vocatus est Ioannes apud Turonensem lib. 5. cap. 38: Voicethus Adelbertus qui S. Pragensis Episcopus: Wenceslaus postea Carolus 4. Tertio, dum quispiam in Religione solennem professionem emittit. Et sic qui pridem Fernandus, postea vocatus fuit Antonius de Padua: sic noui commilitones multos in eâ reli&is prioribus, alia accepisse.

Quartò, dum quis Sacro Pontificatu honoratur, siue is summus, sic vt cum ex Simone Cephâ seu Petrum fecit Christus Dominus & eius exemplo deinceps fecerent omnes sequentes. siue is sit inferior. Sic quoniam Winfrid, in Episcopali consecratione nuncupatus est Bonifacius.

Quintò ob notabilem aliquem euentum aut notabile factum. Sic Paulus cum Barnaba segregatus & designatus Apostolus gentium, mox vt cepit prædicare illis, puta Paulo Proconsuli Cypri, in quem primò ex Gentibus incidit eumque conuertit, ea occasione nomen Iudaicum Sauli mutauit in nomen Romanum Pauli. Vnde Hieronymus cõment in epist. ad Philemonem nomen Pauli censet esse nomen victoriæ & triumphi: *Vti Scipio, inquit, subiecta Africa, Africani sibi nomen assumpsit, & Metellus Creta subiugata, Cretici cognomen reportauit, & Imperatores nunc usque Romani ex subiectis gentibus Adiabeni, Parthi, Sarmatici nuncupantur, ita & Paulus ad prædicationem Gentium missus, primo Ecclesie spolio Proconsule Sergio Paulo victoriæ suæ tropheæ retulit exercitû vexillum vt Paulus diceretur à Saulo.*

Variatio



Variatio nominis in S. Willibrordo originem trahit ex quarta ratione, nimirum quod solennem Episcopalem Consecrationem & dignitatem acciperet. Ab hoc fonte manasse satis suo modo loquendi insinuant Alcuinus & Beda. Ob idem motuum Winfridum appellatum Bonifacium docet Serarius libro tertio rerum Mogunt: notatione 16. Æquum est qui altiorem gradum conscendunt, sicuti mores, ita & nomen aliter instituant.

N. tamen, S. Willibrordum inter Frisios maluisse suum natiuum, frequentiusque vsurpasse. In diplomatibus utrūque nunc seorsim, nunc copulativim exprimit, Willibrordus, Clemens; Clemens Willibrordus: Willibrordus cognomento Clemens, &c. quo discas natale nomen non tam reprobatum fuisse, quam honoris causa aliud à Pontifice superadditum, quemadmodum Beatus Cyprianus in baptisate nomen Cæcilij sibi asciverat à Cæcilio presbytero baptisatore, prius tamen non deleuit, utroque simul se intitulavit Cæcilius Cyprianus.

Sed cur potius Clemens quam aliter? duplex occurrit causa. Vna, quod Sergius cerneret eum esse cordis mansueti, pacificum, lenem, clementem; sicuti Winfridum à benefactis Bonifacium dictum monstrat Serarius supra. Altera, quod sacræ manus ei imponerentur in festo S. Clementis, cuius celebritas Romæ magna. Solent qui in lucem eduntur à S. in natali die occurrente nomina sibi mutuare, sic sæpe & Episcopi in die consecrationis tanquam nouo natali. Fuit quidem ordinatus in festo S. Cæcilie, sed quod femineum nomen non congrueret, voluit ei Pontifex indere nomen à festa luce insequenti, quæ erat S. Clementis, quo die ultimus actus Episcopalis inaugurationis & pallij largitio agebantur.

Notandum illud Bedæ libro quinto cap. 12. *Ipse vero Willibrordus*



*brordus cognomento Clemens &c.* non esse accipiendum quasi Clemens solum esset agnomen, sed cognomento Clemens idem esse quod alio nomine Clemens, prout explicat in quadam ad Stephanum Papam epistola Bonifacius quam exarauimus dissertatione 76.

*Presbyter nomine Willibrord & alio nomine Clemens vocatus.* Sic Becanus, & sic etiã Heda aiunt Sergium S. Willibrordo in ordinatione non cognomen, sed nomen nouum, nomen imposuisse. Neque enim est apud veteres insolens cognomen & cognomentum poni pro nomine alio, Ita S. Paulinus Natali 9. de S. Felice:

*Hinc dubius gemino Didymus cognomine Thomas.*

**S** Hieronymus in caput 1. Ezechielis: *usq; ad quintum capitulitatis annum Ioachin cognomento Iechonia.* Et in Eusebij Chronico, lib. 11. cap. 23. *Apis quem Serapim cognominant,* Id est alio nomine vocant. Sic accipienda est inter litteras Bonifacij hæc Epigraphe: *D. Beatissimo Pontificali infula merito decorato, Archiepiscopo Winfrido, cognomento Bonifacio Hedilbertus Rex Cantia.* Et verba Hincmari epist. 6. ca. 19: *Gregorius à primo secundus, sed & tertius Gregorius Winfrid, cognomento Bonifacium, Legatum Apostolica sedis ad reformandam Christianitatis religionem primò Presbyterum, postea verò Episcopum ordinatum direxerunt.*

D I S S E R.